



1772, 20. 22
QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
VENDITOR HEREDITATIS
DEBITVM ADITIONE HEREDITA-
TIS CONFVSVM RECTE EXI-
GAT AB EMTORE

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE VI. MART. ANNO CIOCCCLXXII.

DEFENDET

CAROLVS GOTTLOB RÜDELIVS

REINSDORF. MISNIC.

LIPSIAE
LITERIS RVMPFIIS.

20

QUESTIO

DE LEGIBUS CONSTITUTIONIBUS

VENUDITOR HEREDITARIIS

DE IURIS ADICTIONE HEREDITARIA

DE CONTRACTIBUS RECTE EXACTIS

DE CAT. REFINITIONE

DE IURIS ICTORVM ORDINE GRATIA

PRÆFATIO

D. CHRISTIANO HENR. BREYNING

PROFESSOR IURIS ORDINIS RECTORIUS

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR

IN ACADEMIA IURIS PRAELECTOR





AN
VENDITOR HEREDITATIS DE-
BITVM ADITIONE HEREDITATIS
CONFVSVM RECTE EXIGAT
AB EMTORE.



§. I.

Confusio, quae etiam in quibusdam specie-
bus *consolidatio* appellatur, in eo confi-
stit, quoties vnus ius alteriusque obli-
gatio in vnam personam transfertur,
vel in eadem persona consolidatur. Occurrunt variae
species confusionis in iure. Exemplum est in seruituti-
bus. Simulac enim dominium praedii seruientis venit ad
dominum praedii dominantis, vel versa vice, confusio fit.
Denominatio absque dubio desumpta ex arg. *L. 3. π. de rei
vind.* Scribit PAVLVS: *Si quid, quod eiusdem naturae est, ita
CONFVSVM est atque commixtum, vt deduci et separari non pos-
sint.* caet. Confunduntur itaque dominia praediorum ser-
uientis ac dominantis in vna persona, vt iam non separari
possint



possint amplius tanquam dominans atque seruiens. Sic confunduntur obligationes, quoties creditoris iura et debitoris obligatio in vnam personam venit, vel quoties debitorum obligatio in vnam veniat personam. Examinauerat quaestiones de confusis obligationibus correeorum et fideiussorum SCAEVOLA in *L. 93. n. de solut. et liberat.* Eiusmodi confusionis exemplum est in ea specie, qua debitoris heres existit creditor, vel creditoris heres debitor. In vtraque ergo confusionis specie statim extinguitur ea obligatio. Nam cum prima specie heres teneatur adimplere obligationes testatoris, obligatus quidem existerat ad aes alienum testatoris sui soluendum, sed cum confusio existeret obligationis, quippe in vna persona existerat ius exigendi debitum atque obligatio soluendi, statim cessabat et ius et obligatio, quippe se ipsum conuenire debuisset, sibi que ipsi soluere. Idem continget in altera specie, si creditoris heres debitor existat: facta illa confusione obligationis, cessabit debitum.

§. II.

Iam vero, si confusione illa facta, heres, qui antea creditor extiterat sui testatoris, cuius hereditatem sibi relictam adierat, hanc sui debitoris acquisitam vendat hereditatem, an ab emtore debitum, tanquam a suo debitore per emtionem hereditatis facta exigere possit, quaeri potest, et videndum, qua actione experiatur.

§. III.

Vendit heres hereditatem aditam, vendit ergo complexum iurium rerum atque obligationum, quae hereditatem constituiebant, seu quae apud defunctum fuerant et in ipsum heredem transmissa erant. Haec ergo iura, haec bona, hasque obligationes, quae apud heredem futurae fuissent, ex emtione acquirerebat heres, sicque integram hanc vniuersitatem emtori tradere vel cedere debebat

bat heres venditor. Effectus ergo huius contractus celebrati erat, vt, quae ab herede praestanda fuissent, ea iam praestanda ab emtore, quae soluenda ab herede, iam soluenda ab emtore, imo, quae exigenda per heredem, nunc exigenda per emtorem. Succedebat enim emtor ipsi venditori hereditatis, non quidem titulo vniuersali, sed singulari: quippe omne ius omnisque obligatio ex contractu emti venditque veniebat. Sed haec satis nota.

§. IV.

Quamuis vero omne suum ius heres venditor transtulerit in emtorem ita, vt teste VLPIANO in *L. 2. princ. π. de hered. vel act. vendit. neque amplius, neque minus iuris emtor habeat, quam apud heredem futurum esset*; tamen nunquam emtor fit heres, sed venditor heres permanet, quippe per titulum singularem heres constitui iure ciuili nequit. Probant amplius ex autoritate GAI in *L. 88. in f. π. de hered. instituend.* in verbis: *non potest adiectus efficere, vt qui semel heres extitit, desinat heres esse.* Iam vero, cum heres venditor hereditatis maneat heres, idque debitum, quod confusione expunctum, venditor a se exigere nequeat; ipse vero venditor neque amplius, neque minus ius in emtorem transtulerit, quam ipse habuerat, ipse vero venditor ius debiti sui exigendi amplius non habuerit, cum in emtorem suum ius transferret, quippe confusione debitum solutum erat; videmur concludere recte nos posse, debitum venditorem hereditatis ab emtore suo exigere non posse, quod exigendi debiti ius nullum amplius haberet, cum venderet hereditatem. Possemus hanc opinionem forsan defendere alia specie, in qua aequalem effectum confusione producit. Constat confusione seu consolidatione amitti seruitutes: expresse id affirmat GARVS in *L. 1. π. quemadmod. seruit. amittunt.* Quodsi ergo postea in alium transferat fundum antea vel seruientem vel dominantem, quaeritur an



cessante confusione; reuiuiscat seruitus: negant ex auctoritate PAVLI in L. 18. π . de seruitut. Scribit enim: *In omnibus seruitutibus, quae aditione confusae sunt, responsum est, doli exceptionem nocituram legatario, si non pariat, eas iterum imponi.*

§. V.

Sed, his argumentis non obstantibus, legibus magis continet, posse venditorem adhuc petere debitum testatoris sui ab emtore hereditatis, ea vendita, licet confusione debitum solutum esse videatur. Probat hanc sententiam VLPIANVS in L. 2. §. 17. π . de hered. vel act. vend. scribit: *Cum quis debitori suo heres exitit, confusione creditor esse desinit. Sed si vendidit hereditatem: aequissimum videtur, emtorem hereditatis, vicem heredis optinere; et idcirco teneri venditori hereditatis: siue, cum moritur testator, debuit: quamuis post mortem debere desit, adita a venditore hereditate: siue quid in diem debeatur: siue sub conditione et postea conditio exiisset: ita tamen, si eius debiti aduersus heredem actio esse poterat; ne forte etiam ex his causis, ex quibus cum herede actio non est, cum emtore agatur.* Obseruamus: Non quidem stricto iure hoc debitum peti posse; sed ex aequitatis ratione, quae in eo est, quod emtor heredis vicem sustinet. Quare et Vlpianus tantum dixerat: *aequissimum videtur.* Neque naturalibus rationibus haec Vlpianea aequitas repugnat. Nam expirabat debitum, cum debitoris obligatio et creditoris ius in vna persona esset, vt absurdum fuisset, si creditor se ipsum heredem debitorem conuenire voluisset. At si vendit integrum suum ius et in emtorem transfert, desinit illud agendi impedimentum, et noua persona accedit, quae conueniri potest, scilicet emtor, qui vicem heredis sustinet; sequitur itaque, posse venditorem iam suum debitum consequi ab herede vicario illo, scilicet emtore, in quem omnis obligatio hereditatis


datis translata fuerat. Neque in contrarium quidquam efficere potest argumentum a seruitute per confusionem sublata, quippe rem adfcit seruitus, non vero personae obligatio interuenit.

§. VI.

Recte itaque petet venditor hereditatis debitum ab emtore. Iam inuertamus speciem, quid, si venditor fuerit debitor testatoris, a quo heres institutus: cum aequali ratione confusione solutum debitum, an venditione facta emtor, in quem cum iure hereditatio ius crediti translatum sit, etiam a suo venditore debitum exigere possit. Non dubitamus, pacto venditioni adiecto effici posse, ne debitum hereditarium emtor a debitore, qui venditor fuerat, petere possit. Sed facti haec quaestio est, non iuris. Quid itaque, si nihil inter partes conuentum sit, an emtor debitum, quod debitor heres iam venditor hereditatis debebat, exigere valide possit. Posse utique dubium non est, vel ex sola hac ratione, quod emtoris et venditoris aequalia sint iura, et cum venditor ab emtore exigere debitum ex aequitatis ratione possit, quidni idem quoque possit emtor ab venditore. Sed ne sine iuris auctoritate hoc dixisse videamur, probatio peti potest ab AFRICANO in *L. 20. ff. de hered. vel act. vendit.* Scribit: *Si hereditatem mihi Lucii Titii vendideris, ac post debitori eiusdem heres existas: actione ex emto teneberis. Quod simplicius etiam in illa propositione procedit, cum quis ipse creditori suo heres existit, et hereditatem vendit.*

§. VII.

Supereft, vt adhuc quaedam de actione dicamus, qua venditor contra emtorem experiri potest, si ab eodem suum exigat debitum hereditarium. Manifestum sane est, ea actione personali, qua ipsum testatorem, si adhuc viueret, conuenire potuiffet, emtorem conuenire
non



non posse. Nam cum emtor vere heres non sit, nec tanquam heres conueniri poterit, sed a creditoribus hereditariis et legatariis atque fideicommissariis venditor conueniendus erit a. *L. 2. C. de hered. vel act. vendit* et *L. 2. C. de leg.* consequimur, nec venditorem, qui iam creditorem agit, emtorem personali actione conuenire posse: Exemplum fingamus: Fac Titium debere ex mutuo Caio CCC. Titius heredem scripserat Caium, qui aditam post Titii mortem hereditatem vendit Sempronio: nunquam mutui actione agere poterit et conuenire Sempronium, quippe nec huic mutuum dedit, nec ex sua persona debitor est, neque tanquam heres conueniri poterit, cum non heres sit, sed vice heredis. Aget ergo ex eo contractu per quem obligatio inter emtorem hereditatis et venditorem enata est, scilicet actione venditi conueniet emtorem, ad praestandum id, quod ex initio contractu debet, scilicet ad soluendum debitum. Probamus hoc ex specie contraria quam supra ex *Africano* dederamus in *L. 20. cit.* In ea enim specie emtor hereditatis contra venditorem heredem ad debitum hereditarium consequendum experitur actione emti. Ait Africanus: *actione ex emto teneberis.* Quidni in inuersa specie venditor venditi actione ad debitum consequendum agere posset,



Leipzig, Diss., 1772 A-R



f
TA-70L

Nur 23. Stk. bisher versch.



1772, 20. 22

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN
VENDITOR HEREDITATIS
DEBITVM ADITIONE HEREDITA-
TIS CONFVSVM RECTE EXI-
GAT AB EMTORE

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE
D. CHRISTIANO HENR. BREVNING
PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.
ET SOCIETAT. LITER. DVISBURG.
SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO
DIE VI. MART. ANNO CIOIÖCCLXXII.

DEFENDET
CAROLVS GOTTLOB RÜDELIVS
REINS DORF. MISNIC.

LIPSIÆ
LITERIS RVMFFIIS.

